



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

Dist. prima tradit de creatione vniuersi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

bonum fuit, vt Apostolus Petrus, quando id fieri nolebat, Sathanas ab ipso qui occisus est, diceretur.

*Sancti viri
qualiter cu
piebāt Chri
stum pati
et Mar-
tyres.*

Sic patet quomodo viri sancti cupierunt Christum pati & occidi amore redemptionis nostræ, & impletionis diuinæ voluntatis, sed non dilectionis passionis & mortis Christi. Vnde eodem lætabantur & tristabantur.

Quo fit etiam vt passiones Martyrum possimus & velle & nolle, & vtrūque bona voluntate, si rectos nobis proponamus fines.

Vnde August. in Enchirid. Bonæ apparebāt voluntates piorum fidelium, qui nolebant Apostolum Paulum pergere Hierusalem, ne ibi pateretur mala quæ Agabus Proph. prædixerat. & tamen hoc illum Deus pati volebat pro annuncianda fide Christi, exercens martyrem Christi, &c. & ideo is cui hoc sine placebat passio Pauli, bonam voluntatem habebat. ca. 101.
act. 21.

*Explicit Epitome in primum Librum
Sentent. mag. Petri Lombardi.*

E P I T O M E I N S E C V N D V M .

DE CREATIONE VNIVERSI
DISTINCT. I. CAP. Primum.

*Deus est vnicum omnium rerum ex
tempore creationis principium.*

Deum esse creatorem initiumque temporis atque omnium visibilium & invisibilium Scriptura ostendit, dicens:

Gen. 1. In principio Deus creavit celum & terram.

Quibus verbis Moses elidit errorem quorundam dicentium plura sine principio principia fuisse. Vt Platonis, qui tria principia posuit, Deum scilicet exemplar, & materiam, eaque increata & sine principio: ac proinde Deum quasi artificem, & non creatorem: quoniam creare est de nihilo aliquid facere: facere autem est ex præiacente materia aliquid efficere. Ideo hoc homini, illud verò soli Deo propriè cõuenit: quãuis in Scriptura creator pro factore quãdoque accipiatur. Facere enim aliquid dicitur, non ut homo, cum aliquo in se motu & passione: sed cum iuxta eius æternam voluntatem nouiter aliquid cõtingere & esse cernitur. Vnde res nouæ, quæ eius voluntate esse incipiunt, actus eius propriè dici nequeunt, quum actus ois in motu existat. In Deo autem nullus motus: sed sicut calore solis aliqua fieri cõtingit, sine facta in eo mutatione: ita

Error Platonij

Deus sine motu sui operatur.

ansto Lib 2.

Lib. 2. de gen. authoris, quæ est vnũ & solũ principium. Aristoteles verò posuit principia, scilicet materiã & speciẽ, & tertium, operatoriũ dictũ, mũdũ quoque semper esse & fuisse. Credamus igitur rerũ creatarũ cęlestiũ vel terrestriũ, visibiliũ vel invisibiliũ causam non esse nisi bonitatẽ creatoris, &c.

C A P. *Secundum. Creatura rationalis
ad diuinæ bonitatis & beatitudinis
participationem creata.*

ET quia nullus potest, nisi per intelli-
gentiam, eius beatitudinis (quæ quan-
tò magis intelligitur, tantò pleniùs ha-
betur) esse particeps: fecit deus rationalem
creaturam, vt summum bonum intelligeret,
intelligendo amaret, amando possideret,
possidendo frueretur, quam in corpoream,
vt homo: & incorpoream, vt angelus, distin-
xit. Vtraque autem facta propter Dei boni-
tatem, & suam vtilitatem, vt scil. ei seruiat, &
eo fruatur.

C A P. *Tertiam. Mundus propter
hominem factus.*

ET quẽadmodũ factus est homo ppter
Deum. i. vt ei seruiret: ita positus est
homo in medio, vt ei seruiretur, &
ipse seruiret, vt acciperet vtrunque, & reflue-
ret totum ad bonum hominis, & quod ac-
cepit obsequium, & quod impendit. To- 1. cor. 3
tum igitur bonum hominis erat, & quod fa-
ctum est propter ipsum, & propter quod ipse
factus est. Omnia enim (ait Apostolus) no-
stra sunt, scil. superiora, ad fruendum: æqua-
lia, ad conuiuendum, vt Angeli, qui nobis
æquales futuri sunt, & nunc nostri sunt, quia

vsu eorum habemus, quia propter nos in
Heb. I. ministerium mittuntur: & inferiora, quia ad
 vsu nostrum facta.

C A P. Quartum. Triplex causa cur
Anima corpori sit vnita.

A Nima autem (si quis quærat) duplici
 de causa vnita est corpori. Primò, quia /
 Deus voluit, cuius volutatis causa quæ-
 rendam non est. Secundò, pro exemplo future 2
 societatis, quæ inter Deum & spiritum ra-
 tionalem in glorificatione eiusdem perficien-
 da erat, animam corporeis indumentis & ter-
 renis mansionibus copulauit, luteamque
 materiam fecit, ad vitæ sensum vegetare: vt
 sciret homo quia si potuit Deus tam dispa-
 rem naturam corporis & animæ in fœderationem vnã & amicitiam coniungere, ne-
 quaquam ei impossibile futurum rationalis
 creaturæ humilitatem, licet longè inferior-
 rem, ad suæ gloriæ participationem subli-
 mare. Tertio etiam ideo vnitæ sunt animæ 3
 corporibus, vt in eis Deo famulantes, maio-
 rem mereantur coronam.

Ordo tractandorum.

Ex præmissis apparet rationalem crea-
 turam distinctam in Angelicam siue totam
 spiritualem, & in partim spiritualem, & cor-
 poralem, cuiusmodi est humana natura. De

M

E P I T O M E

digniori prius agendum.

DE CREATIONE AN-
gelorum.

D I S T I N C T. Secundæ

C A P. Primum.

*Angelica natura non est producta
ante corporalia.*

*fol. 151. a.
dicitur 17.*

Videtur hoc esse tenendum, quod simul
creata est spiritualis creatura .i. An-
gelica, & corporalis: secundum quod po-
test accipi illud Salomonis, Qui viuit in *ecc. 18*
æternum, creauit omnia simul. i. spiritualem
& corporalem naturã. & ita non prius tem-
pore creati sunt angeli, quàm corporalis ma-
teria 4. elemētōrū. & tamen primò omnium
creata est sapientia (vt dicit Sapiēs.) i. Ange- *ecc. 1.*
lica natura, non tempore, sed dignitate.

Quod August. sup. Gen. apertè ostendit,
dicens per cælum & terram spiritualem &
corporalem creaturam intelligi. & hæc
creata sunt in principio, scil. temporis, vel in
principio, quia primò facta sunt: ita vt ante
ea nihil factum sit, nec etiam tempus. Illa
enim cum tempore creata sunt, nec ex tem-
pore, nec in tempore: sicut nec tempus in
tempore creatum est: quia non fuit tempus
antequàm esset cælum & terra. Vnde Aug.